

# EPISTULA LEONINA

## CIC

HEBDOMADALE  
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXCVII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**UNDEDUCENTESIMAM (199) !**

## ARGUMENTA

POST NUBILA PHOEBUS.....	04
FABELLA GRIMMIANA: <i>Der alte Hildebrand</i> .....	05-09
NOLITE SEQUI POPULISTAS CLIMATICOS ! ( <i>Rhonheimer</i> ).....	10-14
NUM GRETA ERRAT? ( <i>Tscheuschner, Gerlich, Lino, Lindzen, Calder</i> ).....	15-23
DE MENDACIIS ALBERTI GOREI ( <i>Al Gore</i> ) .....	24-28
DE MUTATIONIS CLIMATICAЕ NOVA RELIGIONE ( <i>Thüne, Bolz</i> ) .....	29-39

## **LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS SAL.PL.DIC.**

***Cara Lectrix, Cara Lector,***

*nunc tandem tibi offero Epistulam Leoninam undeducentesimam (199). Sive argumenta tibi placent sive displicant, scribas nobis quidquid tibi in buccam venerit. Gratias tibi ago in antecessum.*

*Primo legas novissimam versionem meam fabellae Grimmianae; quae spectat ad quendam clericulum, qui rusticum iussit piam peregrinationem facere, ut ipse possit hilariter diem degere cum uxore illius rustici. Videas, num hoc inceptum a clericulo ad effectum adducatur.*

*Deinde multa et varia legere poteris de mutatione climaticâ deque Gretâ puellulâ Suetâ absentatrice veneridiali, quae creditur esse ἡ προφήτις τῆς ἀποκαλύψεως τῆς κλιματικῆς. Eius asseculae manifestantes saltitare solent verbis iussi, quae sunt: “Qui nunc non salit, comprobat carbonem!” (“Wer jetzt nicht hüpfst, der ist für Kohle!”) Haec verba spectant ad electrificinas carbonarias, quas Gretarii oderunt ex intimo animo, quia audiverunt ex iisdem fabricis abundanter emitti carboneum dioxydum. Istud autem venenum esse abominabile Greta asseclis suis inculcare non desinit. Nam haec puellula est prophetissa divina, et quâ est sapientiâ divinâ, nos severissimê monet, ut quam citissimê deminuamus copiam carbonei dioxydati, quod emittimus; nos omnes esse peccatores improbissimos, quia ipsi exspiremus istud venenum fatiferum; nisi quam maturrimê omnes electrificinas carbonarias stiterimus omniaque autocineta*

*benzinaria omniaque aeropiana ad fresarium<sup>1</sup> transportaverimus, nos omnes combustum iri ecpyrosi infernali, id est incendio apocalypticō. Vae nobis peccatoribus! Tamen unum liceat cautē addubitare: Num carbōneum dioxydātū reverā est venēnum? Nonne plantae virides vivere non possunt nisi accipiunt carbōneum dioxydātū? Nonne bestiae omnes omnesque homines non viverent nisi acciperent oxygenium et nutrimenta, quae fabricantur a plantis? Nonne ex his praemissis concludere licet nos ipsos non vivere posse nisi in atmosphaerā sit satis multum carbōnei dioxydati? O mirabilis substantia vitae universalis, quare Greta eiusque asseclae te tam vehementer diffamant? Hoc explicare nescio nisi conicio institutionem biologicam in scholā, quam Greta frequentat, plerumque haberi diebus Veneris.*

*Haec hactenus de fabellā Grimmianā deque prophetissā climatis puellari.*

*Denuo cena tibi apposita est opipara: tolle lege fruere!*

### **Medullitus Te salutat**

**Nicolaus Groß**

**Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.com/>

### **LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
Die Lunae, 29. m.Apr., a.2019**

---

<sup>1</sup> \*frēsārium, -ī n. theod. Schrottplatz. angl. scrap yard.



## POST NUBILA PHOEBUS

Secundum **Georgium Büchmann** (Geflügelte Worte und Zitatenschatz, Verbesserte Neuausgabe, Zürich, s.a.), haec verba inveniuntur in **Sebastiani Franck** opere proverbiorum, c.t. est “Sprichwörter” (Francofurti ad Moenum 1541: **“Post nubila Phoebus** – Nach Wolken die Sonne”. Sed iam medio saeculo quarto decimo in carmine, c.t. **“Piers Ploughman’s Vision”** **William Langland** (1330-1387) libro V, 12,908, scribit haec verba:  
*Clarior est solito post maxima nebula (sic!) Phoebus.* Sebastianus videtur verbum Vilelmi aut ipse correxisse aut ab alio correctum accepisse.

## FABELLA GRIMMIANA

### 95. De vetulo Hildebrando



Aliquando fuerunt rusticus atque rustica. Quam mulierem in vico libenter aspectabat parochus ideoque exoptabat, ut aliquando totum diem unâ cum illâ degeret quam hilarissimê; necnon ipsa rustica cupiebat hoc facere cum parocho.

Itaque aliquando parochus rusticae dixit haec: »Audi, mi cara rustica. Nunc tandem excogitavi, quomodo fieri posset, ut nos ambo possemus unâ diem degere. Die Mercurii colloca te in lecto et dic marito tuo te aegrotare; deinde lamentare et bene simula te nauseare et perge sic facere usque ad diem Dominicam. Quando ego homiliam habebo, dicam, si quis domi habeat infantulum aegrotum, maritum aegrotum, uxorem aegrotam, patrem aegrotum, matrem aegrotam, sororem aegrotam, fratrem aut quemlibet alium domi habeat aegrotum, et si is fecerit piam peregrinationem ad Montem Cuculi<sup>1</sup> in Vallesiâ<sup>2</sup> situm,

<sup>1</sup> Mōns Cucūlī orig. Göckerliberg. Karl Josef Trauner, Die Namenwelt in den Kinder- und Hausmärchen der Gebrüder Grimm, Szentendre 2012, p.87 putat narratorem hoc nomine alludere ad maritum ab uxore deceptum. Nomen spectare ad cuculum aut ad gallum (cfr theod. *Hahnrei*, i.e. lat. **ninnarus**, cfr Walde-Hofmann, Lateinisches etymologisches Wörterbuch, t.2, 5.ed. , Heidelberg 1972, p.170, s.v. ninnium, lin.9sqq.: „Vgl. nonna sowie **ninnarus** ,cuius uxor moechatur, scit et tacet’, neben ναννάρις κίναιδος ναννάριον ... εἶδος τι ἀσώτων Hes. (Sonny ALL. 12,127).”

ubi nummo cruciato<sup>3</sup> dato accipiat metretam<sup>4</sup> foliorum lauri, futurum esse, ut eius infantulus aegrotus, maritus aegrotus, uxor aegrota, pater aegrotus, mater aegrota, soror aegrota, frater aut quilibet alius, sine morâ reconvalescat».

Tum rustica: »Hoc quidem« inquit, »faciam«. Deinde die Mercurii rustica in lecto se collocavit et coepit queri et lamentari quam miserrimê, ut maritus ei omne remedium, quodcumque inveniebat, afferret et adhiberet; sed morbus uxoris nullo modo est sanatus. Die Dominicâ veniente rustica: »Quamvis« inquit, »tam miserê me habeam quam moritura, tamen unum volo ante finem vitae meae, volo audire homiliam, quam hodie habebit Dominus Parochus«. Tum rusticus: »Ah mi bona uxorcula« inquit, »noli hoc facere, ne, si surrexeris, etiam peius te habeas. Ego nunc ibo homiliam auditum et bene attendam, et postea omnia tibi narrabo, quae Dominus Parochus dixerit«. Tum rustica: »Si vis, care maritule, i pede fausto et bene attende, et postea narra mihi omnia, quae Dominus Parochus dixerit«.

Deinde rusticus profectus est homiliam auditurus. Tum Dominus Parochus coepit homiliam habere, et dixit, si quis domi haberet infantulum aegrotum, maritum aegrotum, uxorem aegrotam, patrem aegrotum, matrem aegrotam, sororem aegrotam, fratrem aut quemlibet alium domi haberet aegrotum, et si is fecisset piam peregrinationem ad Montem Cuculi in Vallesiâ situm, ubi metreta foliorum lauri constaret nummo cruciato, futurum esse, ut eius infantulus aegrotus, maritus aegrotus, uxor aegrota, pater aegrotus, mater aegrota, soror aegrota, frater aut quilibet alius, sine morâ reconvalesceret, et ut is,

<sup>2</sup> **Vallēsia**, -ae f. orig. *Wälischland*. cfr Trauner, a.a.O., p.93. Quia nomen montis habet suffixum alamanicum, fortasse „Wälischland“ est regio Helvetiae, quae hodie appellatur „Wallis“. cfr Graesse/Benedict, Orbis Latinus, p.238, s.v. Pennina oder Poenina Vallis,

<sup>3</sup> **nummus cruciatus** orig. *Kreuzer*. cfr Francis Gouldman, Copious Dictionary in three parts, Cambridge 1669, s.v. : «**cruciatus nummus** or cruciger, a cross-penny». – cfr Antonius Bernolak, Slowar Slowenski Cesko-Latinisko-Nemecko – Uhersti, seu Lexicon Slavicum Bohemico-Latino-Germanico-Ungaricum, p.659: « Gragcar, a, m. crucifer, cruciger, i,m. **nummus cruciatus**, a cruce nomen gerens».

<sup>4</sup> **metrēta**, -ae f. orig. *Metzen*. cfr [https://www.zobodat.at/pdf/Wiss-Arbeiten-Burgenland\\_035\\_0418-0445.pdf](https://www.zobodat.at/pdf/Wiss-Arbeiten-Burgenland_035_0418-0445.pdf)  
ALTE GETREIDEMASSE IM ÖSTERREICHISCH-UNGARISCHEN GRENZRAUM Von Harald Prickler, Eisenstad: „Im burgenländischen Raume waren früher zweierlei Getreidemßearten gebräuchlich: Das Getreidein Stramine, die Strohfrucht, wurde nach Kreuz gemessen, das Getreide in granis, die Kernfrucht, nach Metzen. ... **Der Metzen**, auch Wecht oder Kübel genannt (lateinisch **metreta**, vica, cubulus, ungarisch merö, veka, köböl), war ein Hohlmaß, das in 4 Viertel, Achtel, 16 Maß, 32 Pint oder 64 Halbe unter teilt war; die Übereinheit bildete das Muth (lateinisch modius), das 30—32 Metzen enthielt“.

qui hoc iter facturus esset, post missam statim ad se adiret, ut acciperet saccum foliorum lauri et nummum cruciatum.

Tum nemo laetior fuit rustico, et post missam idem iit ad parochum, et is rustico dedit saccum foliorum lauri nummumque cruciatum. Deinde rusticus domum vénit et iam ante ianuam clamavit: »Io triumphhe, cara uxor, nunc iam paene in eo est, ut reconvalescas. Dominus Parochus enim hodie homiliam habens praedicavit, si quis domi haberet infantulum aegrotum, maritum aegrotum, uxorem aegrotam, patrem aegrotum, matrem aegrotam, sororem aegrotam, fratrem aut quemlibet alium domi haberet aegrotum, et si is fecisset piam peregrinationem ad Montem Cuculi in Vallesiâ situm, ubi metreta foliorum lauri constaret nummo cruciato, futurum esse, ut eius infantulus aegrotus, maritus aegrotus, uxor aegrota, pater aegrotus, mater aegrota, soror aegrota, frater aut quilibet aliis, sine morâ reconvalesceret. En uxorcula, iam mihi comparavi saccum foliorum lauri ipsumque nummum cruciatum a Domino Parocho acceptum et statim proficiscar, ut tu reconvalescas quam maturrimê«. Tum profectus est. At maritus vix abiit, iam rustica surrexit necnon parochus mox advénit.

Sed nunc praetermittamus illos ambos et comitemur rusticum. Idem properans, ut quam maturrimê adveniret Montem Cuculi, forte fortunâ incidit in socium<sup>5</sup> suum. Socius autem rustici erat venditor ovorum<sup>6</sup> modo e mercatu veniens, ubi ova sua vendiderat. Tum socius: »Salvus sis« inquit, »quo properas, socie?« - Tum rusticus: »Salve et tu, socie. Uxor mea cum in morbum incidisset, hodie audivi homiliam Domini Parochi praedicantis, si quis domi haberet infantulum aegrotum, maritum aegrotum, uxorem aegrotam, patrem aegrotum, matrem aegrotam, sororem aegrotam, fratrem aut quemlibet alium domi haberet aegrotum, et si is fecisset piam peregrinationem ad Montem Cuculi in Vallesiâ situm, ubi metreta foliorum lauri constaret nummo cruciato, futurum esse, ut eius infantulus aegrotus, maritus aegrotus, uxor aegrota, pater aegrotus, mater aegrota, soror aegrota, frater aut

<sup>5</sup> **socius**, -ī m. orig. *Gevatter*. Quod verbum hac in fabella non valet patrinum sive compatrem (baptismalem), sed habet sensum laxiorem: est i.q. socius, sodalis, amicus, quidam bene notus. cfr infra *Gevatterin*, quod valet sociam. – Ceterum verbi, q.e. socius, vocatus singularis esse *socie* (non soci) dicitur apud auctorem, qui sequitur: Jacob Joseph Schawlik, Etymologisch-syntactisches Wörterbuch für angehende Lateiner, Wien 1828, p.252, s.v. socius: "...socius hat im Vocabul Singul. *socie* o Theilnehmer!"

<sup>6</sup> **venditor ōvōrum** orig. *Armon*.

quilibet alius, sine morâ reconvallesceret. Itaque saccum foliorum lauri nummumque cruciatum a Domino Parocho accepi et nunc iter facere coepi». – Tum socius rustico dixit haec: »Vah, socie, noli tam simplex<sup>7</sup> esse, ut credas talem fabellam. Reverâ parochus cupit totum diem solus iucundê degere cum uxore tuâ, hac de causâ te deruncinaverunt, ne sibi molestus esses«. Tum rusticus: »Mehercle« inquit, »scire cupio, num istud verum sit«. Tum socius: »Scin'« inquit, »quid faciamus? Considas in corbe meo ovorum, ut te domum feram, ibique ipse videoas, quidnam agatur«. Sic nunc factum est: Socius rusticum in corbe suo ovorum collocavit eundemque tulit domum. Cum ambo domum venirent, eia, ibidem iam agebatur hilariter. Nam rustica iam paene omnia volatilia pecoraque, quae adhuc fuerant in praedio, mactaverat et placentas fartas<sup>8</sup> furno coxerat necnon parochus iam adfuit, qui secum attulerat violinam. Tum autem socius ianuam pulsavit, et rustica quaesivit, quisnam foris esset. Tum socius: »Ego sum, socia« inquit, »rogo vos, ut me sinatis apud vos pernoctare. Nam cum mihi non contigisset, ut venderem ova mea in mercatu, eadem mihi reportanda sunt domum, quae sunt ponderosiora, quam ut feram sat celeriter, et tenebrae iam sunt«. Deinde rustica: »Heus mi socie« inquit, »tempore parum commodo venisti. Sed, si Deus vult, intra, et conside in bisellio fornacali<sup>9</sup>«. Itaque socius cum corbe suo dorsuali consedit in bisellio fornacali. Parochus atque rustica perquam laeti erant hilaresque. Denique parochus: »Audi« inquit, »mi cara rustica, tu cum scias admodum pulchrâ cantare, rogo te, ut mihi cantes cantilenam«. – Tum rustica: »Ah« inquit, »nunc non iam scio cantare, cum iuvencula essem, bene scivi«. At parochus: »Certê« inquit, »tu scis cantare. Ah cantes, quaeso, cantilenulam«.

Tandem rustica coepit cantare:

»O quam bene misi maritum  
in Montem in Vallesiâ situm !«

Tum parochus cantavit:

»Iste per me semper ibi maneat!  
Laurum ego nolo, iste sibi habeat!

<sup>7</sup> **simplex**, -icis orig. *dacket*.

<sup>8</sup> **placenta farta** orig. *Krapfen*. cfr Benjamin Hederich, Promtuarium Latinitatis probatae et exercitiae oder vollständigstes Teutsch-Lateinisches Lexicon. Leipzig 1729, s.v.: "Krapfen, placenta farta".

<sup>9</sup> **bisellium fornacâle** orig. *Ofenbank*.

Halleluia!«



Nunc socius coepit cantare (memorandum mihi est rusticum fuisse nomine Hildebrandi):

»Heus care Hildebrande,  
quid facis, socie laudande?  
Halleluia !«

At nunc rusticus medio in corbe cantavit:  
»Taedet nunc cantare! Nunc iuvat agitare!«

Tum rusticus e corbe escendit et clericulum<sup>10</sup> mulcando e domo fugavit.

## **HANC FABELLAM GRIMMIANAM**

**C.T. *Der alte Hildebrand***

**IN LATINUM CONVERTIT**

**LEO LATINUS**

\* \* \*

---

<sup>10</sup> +clēriculus, -ī m. orig. *der Pfaff*.

# NOLITE SEQUI POPULISTAS CLIMATICOS !<sup>1</sup>



En nunc veniunt infantuli climatici<sup>2</sup>. Magna manifestatio mense Martio Berolini facta.

In quaestione climatis tractandâ iterum iterumque inter se permiscentur res scientificae et politicae. Hoc est periculosum. Ridiculum futurum fuisse, si *Greta Thunberg* attribueretur praemium pacis Nobelianum.

**10.04.2019** Scripsit *Martin Rhonheimer*, in Latinum convertit *Leo Latinus*.

*Hans Joachim Schellnhuber*, conditor *Instituti Effectūs Climatis Investigandi Postampiensis<sup>3</sup>* sic dicit: *Operistitiis discipulorum climatis causa factis novam aetatem esse incohatam: Nunc factum esse, ut impediretur, ne planeta noster destrueretur, factum esse sodalicium inter scientistas et pueros adulescentesque*. Mirum est talia verba fieri a scientistâ. **Primo**, quia scientistarum non est aliquid impedire aut servare. Hoc est, si necessarium, hominum politicorum. Scientistarum est rerum cognoscere causas et parare fundamenta disceptandi atque diiudicandi. Scientista sive institutio scientifica, quā ipsa studet proposita politica fovere et procurare, in suspicionem venit se servire commodis non-scientificis, praesertim politicis.

<sup>1</sup><https://www.weltwoche.ch/ausgaben/2019-15/artikel/hört-nicht-auf-die-klimapopulisten-die-weltwoche-ausgabe-15-2019.html>

<sup>2</sup> orig. Jetzt kommen die Krabbelgruppen.

<sup>3</sup> orig. Potsdamer Institut für Klimafolgenforschung. \*Postampium Potsdam, cfr Graesse/Benedict, Orbis Latinus, s.v. Bostanium.

**Secundo** verbis climatologi Postampiensis captiosê suggestur scientistis operam dantibus nunc auxilium dari a grege hominum novo illis nullo modo obnoxio, i.e. a pueris adulescentibusque. At hoc tantummodo simulatur quâdam praestigiâ. Nam opinones atque angores horum puerorum adulescentiumque nequaquam exorti sunt aliquibus cognoscentiis, quas ii ipsi pepererunt de mutatione climatis eiusque periculis deliberantes. Hae opinones atque angores reverâ effecti sunt ab illis scientistis, qui in Concilio Climatis Mundano Civitatum Unitarum<sup>4</sup> et in institutis investigandi cum illo concilio coniunctis necnon ab illorum multiplicatoribus socialibus, qui sunt: media et ecclesiae necnon magistri scholarum, qui discipulis iam natu minimis inculcant timorem calamitatis climaticae universalis.

Quamnam utilitatem additiam ex tali *sodalicio*<sup>5</sup> inter scientistas et hunc motum iuvenum ulti exortum facto percipere possint ipsi scientistae – nisi se ipsos putant esse motûs politici participes?

Climatologus *Schellnhuber* his verbis factis apparet ipse agitator politicus totusque motus climaticus apparet „bulla“ esse ulti augescens<sup>6</sup>. Eo quod – ut factum est his septimanis proximis – plus viginti milia scientistarum – at tot climatologi non exstant – publicê assenserunt discipulae *Greta Thunberg* flagitanti, ut homines participes fierent motûs operistitii climatici, qui appellatur «*Fridays for Future*», non sôlum fit quadamtenus saltatio absurdâ in bullâ giganteâ, quae magis magisque vim habet ad opinionem publicam et a mediis propagata augeri non desinit, sed exortum est etiam genus populismi eximiê periculosum.

Iste modus agendi est populismus, quia scientistae sic agitantes utuntur affectu populi et timore, quos ipsi effecerunt; homines enim hôc timore affecti putant conflari coniurationem a quibusdam capitalistis electariis planetam destruentibus<sup>7</sup>. His affectibus hominum utentes scientistae politici student demonstrare utilitatem propriae

---

<sup>4</sup> **Concilium Climatis Mundânūm**, i.e. theod. *Weltklimarat*, angl. *Intergovernmental Panel on Climate Change (IPCC)*.

<sup>5</sup> **sôdalicium**, -i n. orig. *Schulterschluss*.

<sup>6</sup> orig.: *Klimaforscher Schellnhuber erweist sich damit als politischer Agitator und das Ganze als eine sich selbst verstârkende Blase*.

<sup>7</sup> orig.: *Es handelt sich um Populismus, weil sich hier Wissenschaftler eine volkstümliche Stimmung zunutze machen und eine von ihnen selbst erzeugte Angst vor der angeblichen Verschwörung einer kapitalistischen Wirtschaftselite, die den Planeten an die Wand fahre.*

investigationis, ut lucrum sibi servent vectigalibus publicis comparatum.

Iste autem populismus climaticus est reprobandus, quia eodem pueri adulescentesque instrumentificantur<sup>8</sup>, qui – similiter ac plerique cives ceteri – nequaquam apti sunt ad cohaerentias ac probabilitates investigationis climatologicae quantulocumque modo intelligendas atque diiudicandas. Isti autem scientiae politici his pueris adulescentibusque pravê abutuntur eo fine, ut impedian, ne publicê pergatur in utramque partem disputari thesis litigiosa et a multis addubitata, quae est thesis mutationis climaticae magnâ ex parte ab hominibus effectae et calamitatis climaticae universalis a politicis evitandae. Talis agitatio scientistis est indigna.

## Tegimentum morale

Ineptum esset negare mutationem climatis. Quae mutatio est difficultas nobis evidenter apparens, cui quam optimê perferendae nobis danda est opera. Etsi pars mutationis climaticae ab hominibus effecta ratione scientistarum videtur esse extra omnem quaestionem, non licet oblivisci clima prioribus quoque aetatibus terrae semper mutatum esse. Causas mutationis diiudicare singulisque factoribus pondus attribuere: Hoc facere nescit homo scientiarum imperitus. Etiam auctor haec verba scribens hoc nescit. Idem vir necnon homines politici non possunt quin audiant scientistas; auctor libenter sinit se ab illis doceri. Tamen etiam is, qui rei ipsius scientificae imperitus est, sensibus acutis animadvertere potest indicia, quibus apparent quosdam scientistas commodis politicis potius servire quam rerum causis cognoscendis. Itaque studia climatologorum foventur et dispensantur ab institutione politicâ Unitarum Nationum, quae sibi proposuit ideologiam bene nôtam ad effectum adducendam, quae est oeconomiae adversa, i.e. anticapitalistica. Non desunt indicia talis obnoxietatis climatologorum politicae, quibus efficiatur hominum suspicio. Quod sciunt climatologi. Eo quod nunc ipsi scientiae utuntur pueris adulescentibusque, ut eorum ope dubitatoribus obtendant tegimentum morale, homines perturbant eorumque spem decipiunt.

---

<sup>8</sup> \*Instrūmentificāre orig. *instrumentalisieren*, i.e. re aut homine tamquam instrumento uti.

In rebus climaticis tractandis iterum iterumque fit, ut periculosê inter se misceantur scientiae et res politicae. Nunc ipsi politici tramenti puerorum inscendentes sibique non temperant, quin commendent, ut discipula illa Sueta honoretur praemio pacis Nobeliano. Istud autem est ridiculum, si accuratius consideramus, dicendum est scandalon. *Greta Thunberg* constantiâ et probitate suâ videtur quidem esse auctoritate propriâ. At reverâ haec Sueta puella est digna, cuius nos misereat, quia non agit proprio intellectu, sed aliorum potestati atque auctoritati obnoxia, quam nescit mente suâ perspicere. Eo quod *Greta* homines monet, ut terrore panico correpti agitent sine morâ, videtur quidem saluti communi prospicere. At reverâ eadem puella se non praestat responsabilem atque hominibus illuminandis deditam, sed omnino contrariam neque ullo modo dignam, quae honoretur praemio Nobeliano. Is enim, qui homines monet, ut in terrorem incident panicum, non dignus est, qui audiatur ab homine sanâ mente praedito. Eo potius oportet talis homo rationalis adiuvet alterum terrore panico correptum, ut animum sibi servet sat tranquillum – praesertim cum agatur de homine, qui laboret *autismi* genere gravi, quo, ut ipsa *Greta* eodem affecta explicat, res nullâ ratione possunt considerari nisi habentur pro optimis aut pro pessimis.

### **«Data computatralia esse incerta»**

*Hans Rosling*, Greta Thunberg conterraneus, in opere, quod post eius mortem editum inscribitur «*Factfulness*», in contextu quaestionis climaticae scribit haec: »*Si quis mihi dicit aliquid statim esse faciendum, incipio cessare. Plerumque enim ille conatur me a cogitando avertere*«. Rosling narrat Albertum Goreum activistam climaticum sibi aliquando dixisse: »*Oportet nos hominibus timorem iniciamus, ut aliquid faciant*«. Deinde Rosling recusavit, ne Goreo ad conferentiam TED habendam traderet diagrammata sua bullaria scaenarii casûs pessimi<sup>9</sup>. Idem scientista Suetus his verbis explicat, quare diagrammata sua non tradiderit. »*Oportet pergamus hoc problema tractare, sed ne umquam fiamus victimae resultatorum nostri, quibus frustramur atque excitamur. Ex unâ parte non licet negligere scaenaria casûs pessimi, sed ex alterâ parte debemus scire, quam incerta sint data computatralia. Etiam is, qui homines vult quam*

---


<sup>9</sup> orig. *Blasendiagramme des Worst-Case-Szenarios*.

*vehementissimē adhortari, ut agant, tamen debet sibi servare animum tranquillum, ut sciat res diiudicare prudenter neve aleam subeat credibilitatis suae».*

In Germaniae transitione energeticâ<sup>10</sup> considerandâ intellegimus, quid accidat, si politici ratione amissa descendunt ad demagogiam: Qui periculum subeunt, ne detrimentum capiat oeconomia totius terrae, quod maximē nocet civibus minoris salarii acceptoribus; tamen praevideri potest hanc transitionem vix ullam habere vim ad clima mundanum. Aliae autem methodi sunt carbonei dioxydati deminuendi efficaciores, quibus minus destruatur hominum opulentia.

At tales methodi non comprobantur a politicis bullae activismi inclusis. Populistae autem climatici id curant, ne ista bulla displodatur – nunc eo quod pueros adulescentesque instrumentificant et in spectaculis collocatoriis immodicē laudantes et palpantes impediunt, ne illi umquam discant cogitare ratione critica.

Consilium autem optimum omnium, quod dari potest omnibus adulescentibus climatis causā operistitia facientibus, est id quod sequitur: Nolite vosmet ipsos venditare populistis climaticis, scholam frequentate, ut primo discatis, quomodo iudicandum sit de periculis subeundis deque probabilitatibus aestimandis. Deinde vitam vestram degentes agite facultate iudicandi propriā, nolite agere arbitrio alieno obnoxii!




**Martin Rhonheimer** ex anno 1990 est professor ethices atque philosophiae politicae in Universitate Studiorum Papali Sanctae Crucis Romanā. Qui est praeses conditor Instituti Austriaci Oeconomiae Philosophiaeque Socialis, quae est Vindobonae, ubi Martinus Rhonheimer nunc habitat. Qui relationes publicat in variis ephemeridibus, e.g. in NZZ (Nova Ephemeride Turicensi) et in Communi Ephemeride Dominica Francofurtensi (*Frankfurter Allgemeinen Sonntagszeitung*).

---

<sup>10</sup> orig. *Energiewende*, angl. *energy transition*.

# NUM GRETA ERRAT?

**NONNE FIET APOCALYPsis? NONNE ECPYROSIS?  
NONNE MUNDUS PERIBIT? NONNE NOS PECCATORES  
COMBUREMUR EMISSORES CARBONEI DIOXYDATI?**



## Die neue Sonnenreligion

Aberglaube und Größenwahn prägen unsere Klimapolitik.  
Von Roger Köppel und Christoph Mörgeli

orig.: Dr. rer.nat. Ralf D. TSCHEUSCHNER

<https://www.youtube.com/watch?v=4xep6MvyUT8>

"Es kann von einem Consensus über den menschengemachten Klimawandel keine Rede sein. Unter diesen 1000 Wissenschaftlern sind 2 Wissenschaftler aus Deutschland, **Professor Gerlich** und meine Person, die eine Arbeit geschrieben haben: *Die Falsifizierung der atmosphärischen CO<sub>2</sub>-Treibhauseffekte im Rahmen der Physik*. Es gibt keine physikalischen Mechanismen, nach denen CO<sub>2</sub> (Kohlensäure) das Klima beeinflussen könnte, und für **die Behauptung, dass die von Menschen verursachten CO<sub>2</sub>-Emissionen die mittlere Temperatur der Erde erhöhen könnten, gibt es nicht nur keine wissenschaftlichen Beweise, sondern sie ist auch falsch** ... Ich würde sogar ganz persönlich davon ausgehen, dass es sich um den **größten Wissenschaftsskandal aller Zeiten** handelt. ... Es ist auch einer der größten politischen,

**wirtschaftlichen und pädagogischen Skandale – pädagogischen Skandale deshalb, weil den Schülern in den Schulen Falsches beigebracht wird... ”**

*i.e. Latinē:* »Scientistae nequaquam inter se consentiunt mutationem climatis ab hominibus effici. His mille scientistis duo intersunt Germani, Professor Gerlich et ego ipse, qui scripserunt commentationem, c.t. *Falsificatio physica effectuum thermoceplicorum, qui in atmosphaerâ fieri dicuntur propter carboneum dioxydum.*

Nulli sunt mechanismi physici, quibus carboneum dioxydum vim habeat ad clima mutandum, et **sententia, secundum quam temperatura terrae media dicatur augeri posse carboneo dioxydato ab hominibus emisso, ratione scientificâ non sôlum non demonstrari potest, sed est etiam falsa** ...immo equidem ipse non dubito quin hac (sententiâ publicê comprobatâ) **scandalon scientiarum** effectum sit **maximum omnium temporum...** Necnon agitur de **scandalo politico, oeconomico, paedagogico uno ex maximis – paedagogicum quoque est eo, quod in scholis discipuli imbuuntur rebus falsis...«**

**Dr. rer.nat. Ralf D. TSCHESCHNER** physicus Germanus

„Hundreds of billion dollars have been wasted with the attempt of imposing an Anthropogenic Global Warming (AGW) theory that is not supported by physical world evidences....AGW has been forcefully imposed by means of a scare stories and indoctrination that begins in the elementary school textbooks.”

cfr <https://wattsupwiththat.com/2010/11/14/climate-change-the-keywords-part-2-of-3/>

**Geraldo Luis LINO**, geologus Brasilianus, qui scripsit librum a.2009 editum, c.t. est: “The Global Warming Fraud: How a Natural Phenomenon was converted into a False World Emergency”.

*i.e. Latinē:* »Aliquot centum miliardae dollariorum profusae sunt, ut hominibus theoria globalis calefactionis anthropogenae imponeretur, quae non sequitur ex indiciis physicis. Haec theoria hominibus vehementer imposita est fabularum horrificarum inculcatione, quae incipit fieri iam in ludi litterarii libris legendis«.

**Geraldo Luis LINO**  
Geologus Brasilianus



**Richard (Dick) S. Lindzen**

**Professor meteorologiae, climatologus emeritus, qui docuit in Instituto Technologiae Massachussetsiano (MIT).**

“Moreover, **the small change in global mean temperature** (actually the change in temperature increase) **is much smaller than what the computer models used by the IPCC have predicted.** Even if all this change were due to man, it would be most consistent with low sensitivity to added carbon dioxide, and the IPCC only claims that most (not all) of the warming over the past 60 years is due to man’s activities. Thus, **the issue of man-made climate change does not appear to be a serious problem. However, this hardly stops ignorant politicians from declaring that the IPCC’s claim of attribution is tantamount to unambiguous proof of coming disaster.** ...”

So there you have it. An implausible conjecture backed by false evidence and repeated incessantly has become politically correct ‘knowledge,’ and is used to **promote the overturn of industrial civilization. What we will be leaving our grandchildren is not a planet damaged by industrial progress, but a record of unfathomable silliness as well as a landscape degraded by rusting wind farms and decaying solar panel arrays.** False claims about 97% agreement will not spare us, but **the willingness of scientists to keep mum** is likely to much reduce **trust in and support for science.** Perhaps this won’t be such a bad thing after all – certainly as concerns ‘official’ science.”

**Prof.Dr. Gerald Lindzen**

<https://www.thegwpf.org/content/uploads/2018/10/Lindzen-AnnualGWPF-lecture.pdf>

*i.e. Latinē:* “Praeterea parva mutatio globalis temperaturae mediae (in praesenti mutatio incrementi temperaturae) multo minor est quam praedictum est simulacris computatralibus a Concilio Climatis Mundano (ICCP) adhibitis. Etiam si tota haec mutatio effecta esset ab hominibus, maximē quadraret ad parvulam tantum cohaerentiam cum carboneo dioxydato addito, et IPCC tantummodo dicit calefactionem his sexaginta annis factam maximam tantum partem (non totam) effectam esse actionibus hominum. **Itaque quaestio climatis ab hominibus mutatae non appetet esse problema grave.** Tamen hac re politici ignari vix impediuntur, ne declarent dictis Concilii Climatis Mundani procul dubio demonstrari calamitatem venturam esse universalem ...”

Haec hactenus vobis dixi. **Coniectura implausibilis, quae falsis argumentis affirmata perpetuo repetebatur, facta est ‘scientia’ quae dicitur politicē correcta et adhibetur ad cultum civilem industrialem evertendum. Id quod nos relinquemus nepotibus nostris, non erit planeta progressu industriali afflictus, sed effectū immensae stultitiae necnon regiones electrificinis aeolicis<sup>1</sup> ferragine obiectae et collectris solaribus<sup>2</sup> dilabentibus foedatae.** Non poterimus evitare eos, qui falso contendant nonagenas septenas partes centesimas (97%) scientiarum inter se consentire de causā climatis mutati anthropogenā, sed verisimile est scientistas eo quod ora sua opprimere volunt, multum fiduciae et auxilii amittere. At fortasse hoc post ista omnia quae iam facta sunt non nimis malum est – saltim quantum spectat ad scientias, quae dicuntur ‘officiales.’”

**Prof.Dr. Gerald Lindzen**

<https://www.thegwpf.org/content/uploads/2018/10/Lindzen-AnnualGWPF-lecture.pdf>

»*Omnēs rerum publicarum industrialium partes politicae sive dextrae sive sinistram theoriam carbonei dioxydati programmati suo inserent comprobatam. Nam eadem est occasio unica, quā licet vectigalia postulare pro aëre respirando pendenda. Quia dicuntur eodem modo mundum servare a calore mortifero, politici etiam laudabuntur his vectigalibus introductis. Nulla pars politica resistet isti temptationi».*

**Nigel Calder**, diurnarius scientificus ipsius BBC

cfr Günther Ederer, Die CO2-Theorie ist nur geniale Propaganda.

<https://www.welt.de/debatte/kommentare/article13466483/Die-CO2-Theorie-ist-nur-geniale-Propaganda.html>

---

<sup>1</sup> \*electrificina \*aeolica Windkraftwerk.

<sup>2</sup> \*collectrum sōlāre Sonnenkollektor.

[\*\*https://www.youtube.com/watch?v=wCzAiVYSK2Q\*\*](https://www.youtube.com/watch?v=wCzAiVYSK2Q)

**COLLOQUIUM INTERROGATORIUM  
DE FRAUDE CLIMATICĀ  
FACTUM**



**Prof.Dr. Gerhard GERLICH**

(1942-2014)

**R.I.P.**

**FELIX QUI POTUIT RERUM COGNOSCERE CAUSAS**

- *Physicus refert, mendacia climatica qualia sint -*

**Prof.Dr. rer.nat. Gerhard Gerlich  
a Gerhardo Wisnewski interrogatus**

(16.02.2011)

*Hoc colloquium in Latinum convertit LEO LATINUS*

W(ISNEWSKI): Telephonans nunc saluto Dominum Professorem Doctorem *Gerhard Gerlich*, qui docet in Instituto physices mathematicae Universitatis Brunsvicensis. Salutem tibi dico, Domine Professor Gerlich. Potestne fieri, ut mihi breviter dicas, quale officium geras – ut nonnulla mihi referas de professione tuâ?

G(ERLICH): **Dicam.** Sum professor universitarius physices theoreticae, doceo in Instituto Physices Mathematicae, idque ex aeterno ferê tempore, ex a.1978. Antea functus sum munere assistentis et superassistantis et quolibet alio; chartam oblino rebus theoreticis scribendis.

W.: Bene. Aliquatenus etiam publicê innotuisti, cum aliis rebus tum eo quod monitionem calamitatis climaticae officialem vituperavisti. In hac monitione quidnam tibi displicet?

G.: **Haec monitio mihi displicet, quia est fraus professionalis.**

W.: Quatenus?

G.: Necessè est omnis homo scientiarum naturalium doctus intellegat istum atmosphaericum effectum thermoepicum non extare. Tamen isto effectu mente conficto derivatur calamitas climatis eo, quod contenditur rationem intercedere inter carbonem dioxydum aëris atmosphaerici particeps et temperaturam terrae medium, quae neque potest mensurari neque computari. Necnon cum portio carbonei dioxydatio, quae inest aëri, minor sit, quam ut vim habeat ad gasi qualitates thermodynamicæ, omnia illa non mensurari possunt. Totus effectus thermoepicus posita est in malis calculationibus, quae non confirmatae sunt mensurationibus.

W.: De hac re miror. Rectêne intellexi? Haecin temperatura terrae neque mensurari potest neque computari?

G.: **Ita est, quia septenae centesimae partes (70%) superficie globi terrestris sunt oceani, in quibus per paucae sunt stationes mensoriae. Nobis non sunt data mensoria satis apta, ex quibus computari possunt valores medii.**

W.: Sentisne sistema temperaturas mensurandi, quod terrae est impositum, esse nimis lacunosum?

**G.: Est.** Non sôlum est nimis lacunosum, sed numquam sufficit calculationibus speculativis. Itaque calculationes speculativae, quae positae sunt his datis mensoriis, nihil sunt nisi fictiones.

**W.:** Ergo omnes illae temperaturae globi terreni mediae, quae nobis ferê cottidie minaciter inculcantur nihil sunt nisi merae fictiones?

**G.: Sunt.**

**W.:** Modo dixisti effectum thermocepicum, qualis semper describeretur, omnino non exstare. Cur non exstat?

**G.: Neque ipse atmosphaericus effectus thermocepicus exstat neque eiusdem explicatio theoretica. Eandem falsam esse demonstrare scio.**

**W.:** Quidnam tibi videtur de omnibus illis studiis calamitatis climaticae impugnandae? Si tu rectê iudicas, tota calamitas climatis nihil est nisi figmentum phantasticum.

**G.: Est.** Clima complectitur parametra certis locis terrae mensurata et valoribus mediis indicata. Tempestas ab hominibus mutari non potest, ergo clima quoque non potest. Unum ex altero sequitur ratione logicâ.

**W.:** Putasne hysteriam climaticam stabilem mansuram fore aut exspectas totam istam bullam fictionum spumosam aliquando displosum iri?

**G.: A.1995 nos omnes consenseramus legibus oecologicis latis totam istam rem fore sublatam. Circa eundem annum accepi a quodam consiliario ministerii circumiectorum hanc ideam totam esse inanem et eodem modo ac ideam tabis silvarum<sup>1</sup> interituram esse. At infeliciter haec nostra futuri confidentia non ad veritatem adducta est, nam ista res stultissima (*idea calamitatis climaticae*) interim resurrexit, quia hôc modo hominibus pauperibus pecunia potest auferri ideoque divites possunt ditificari.**

**W.:** Carboneum dioxydum hôc tempore dicitur esse substantia quadamtenus infernalis, quasi sit venenum aliquod circumiectis nocentissimum. Quid tibi videtur de hâc maledictione?

---

<sup>1</sup> **tâbēs silvārum** orig. *Waldsterben*.

G.: Scilicet istaec est perfida. Nam carboneum dioxydum si deest, plantae non crescunt et sine iisdem neque homines vivunt neque bestiae. Ergo istaec est stultificatio plebeculae gravissima<sup>2</sup>.

W.: Nonne aetates terrae calidores prius appellatae sunt „optimae“?

G.: Ita est, recte dicens. Medio aevo clima dicebatur optimum esse<sup>3</sup>. Homines sentiebant idem esse optimum. Itaque equidem semper illis contradicebam, qui hominibus inculcent tempestatem meliorem aliquatenus nocere.

W.: Scisne praedicere, qualis evasura sit ista hysteria climatica?

G.: Verisimile est fore, ut eadem etiam percrebescat. Nunc iterum terror inicitur discipulis et parvulis. Qui noctu dormire non possunt timentes, ne avus Hammaburgensis aquis submergatur neve ipsi submergantur abundationem aquarum in televisorio spectantes.

W.: Scisne explicare, quare ista idea calamitatis climaticae tantam habet vim ad homines incredibilem?

G.: A.1995 – ut iam commemoravi – nullum physicum aut opticum conveni, qui nesciret istam ideam esse stupidissimam. At hodie res aliter se habet! Quia scientiae, si indicant thema suum spectare ad climatis mutationem, accipiunt pecuniam investigandi! Itaque non iam ita certum est, utrum multi homines, quamvis bene sciant effectum illum (*sc. thermocepicum*) non exstare, nunc de eodem interrogati aperte respondeant an potius cautē in neutrius partem inclinati.

W.: Ergo scientiae, ut assentiantur hypothesi calamitatis climaticae ab hominibus effectae, corrumputur pecuniis investigandi praebendis?

G.: Ita est! Talis autem investigatio appellatur moderna, efficax, mercede praemioque digna! Evidem tales investigationes appellare soleo *scientias praedispositas*<sup>4</sup>! Petitiones petitioni iam inscribunt, quas res sint inventuri.

---

<sup>2</sup> orig. „eine Volksverdummung erster Garnitur“.

<sup>3</sup> Prof. Gerlich videtur parum intellectuisse, quid sentiret D. Wisnewski: Qui non dixit homines mediaevales clima suae aetatis optimum appellasse (nam iidem clima priorum temporum cum ignorant, cum suo comparare non potuerunt), sed geologos climatologosve clima variarum aetatum terrae inter se comparantes.

<sup>4</sup> orig. „Proposal-Wissenschaft“.

W.: Haec investigatio climatica estne interim quodammodo facta autonomica res industrialis?

G.: Est, est. Ita fit, quia tales negotiationes, qualis est industria autocinetica, quae (*propter emissiones suas tutelae climatis*) resistere exspectantur, nunc omnes isti rei assentiuntur. Quod eaedem prioribus temporibus non fecerunt.

W.: Hoc autem scire cupio vehementissimē: Cur industriae, ad quas haec res plurimum spectat, immo, quarum producta ipsa (*a climatis tutoribus*) dicuntur infernalia esse, non vehementius se defendunt contra istam ideam calamitatis climaticae. Scisne hoc explicare?

G.: Quia haec idea iis est lucrosa. Fabricatores enim autocinetorum semper volunt vendere autocineta nova. Itaque student emptoribus inculcare autocineta vetustiora esse nocentissima.

W.: Haec dixit Prof. Dr. Gerhardus Gerlich, qui docet in Universitatis Brunsvicensis Instituto Physices Mathematicae. Gratias plurimas tibi ago, Domine Professor Gerlich, pro hōc colloquio facto!

## **COLLOQUIUM GERLICHIANUM IN LATINUM CONVERTIT**

**LEO LATINUS**



## DE MENDACIIS ALBERTI GOREI<sup>1</sup>



**ECCE ALBERTI GOREI VERITAS INCONVENIENS:** Cinemate suo monstrato temperatura globi terrestris mensurata vehementer discrepat a predictâ.

Multis hominibus tempestas et clima videntur esse res eadem. Omnes autem rei periti inter se consentiunt de hac re: Clima est valor tempestatum medius statisticus per minimum triginta annos computatus.

### Cancellaria Angela Merkel:

„....quantum in climate tutando progressi simus, non licet a.2050 demum mensurare. Egemus valoribus spatio medio petendis...“

**Cancellaria foederalis Angela Merkel d.17. m.Dec. a.2009 in Foederali Conventu Legatorum Germanico orationem habens**

**Prof.em. Horst-Joachim Lüdecke** (qui scripsit librum, c.t.: „De carboneo dioxydato et tutelâ climatis“):

„Nemo potest tutari medios valores statisticos. Non potes tutari clima! Stulte dictum!“

At in Britanniâ maiore facta est res ingens:

- Novem errores –

Iudices Suae Maiestatis declaraverunt cinema Alberti Gorei continere novem minimum errores, et interdixerunt, ne cinema Goreanum

---

<sup>1</sup> Klimaschwindel – Die Lügen des Al Gore! [https://www.youtube.com/watch?v=dIQiNvQ\\_424](https://www.youtube.com/watch?v=dIQiNvQ_424) am 30.11.2015 veröffentlicht.

publicē monstraretur nisi expressis verbis indicarentur isti errores graves:

1. D(ominus) Goreus contendit montibus glacialibus liquefientibus libram maris mox auctum iri sex metris.

- FALSUM -

Iudices declarant: Hac sententiā res immensē exaggeratur. Si ullum augmentum animadvertisetur, hoc non fiet nisi demum per spatum complurium mille annorum.

2. D. Goreus contendit corallietā<sup>2</sup> Oceani Pacifici profundiora iam esse ab hominibus derelicta.

- FALSUM -

Iudices declarant: Huius rei omnino nullum est indicium.

3. D. Goreus contendit *Fluentum Sinuarium*<sup>3</sup> Oceani Atlantici calefaciens desinere fluere.

- FALSUM -

Iudices declarant: Hoc omnino non est verisimile. Fluentum Sinuarium marinum, si aliquatenus mutabitur, tantummodo paululum deminuetur.

4. D. Goreus duo diagrammata monstrat, in quibus indicantur augmenta carbonei dioxydati et temperaturae spatio 600.000 annorum facta, quorum unum ad alterum exactē congruit.

- FALSUM -

Iudices declarant: Duo diagrammata arguento non sunt sententiarum Alberti Gorei.

5. D. Goreus dicit nivem in monte *Kilimandscharo* sitam evanuisse calefactionis globalis causā.

- FALSUM -

---

<sup>2</sup> \*coralliētum, -i n. *Atoll, Korallenriff*.

<sup>3</sup> **Fluentum** \***Sinuarium** i.q. theod. *Golfstrom*, angl. *gulf-stream*; hisp. *Corriente del Golfo*; fr. *le Gulf Stream*; ital. *Corrente del Golfo*. cfr J.E. Wappäus, De Oceani fluminibus. Gottingae 1836, p.2: flumen Floridae. Quod mihi videtur esse nomen parum aptum. De origine nominis nominibusque veterioribus v. <https://de.wikipedia.org/wiki/Golfstrom>: "...Der Name Golfstrom wurde von Benjamin Franklin geprägt und bezieht sich auf den Golf von Mexiko. Früher wurde er auch „Floridastrom“ genannt, auf den Karten des 16. und 17. Jahrhunderts heißt er *Canal de Bahama*.“

Iudices declarant: Credibile fieri non potest nivem in monte *Kilimandscharo* sitam maximâ ex parte evanuisse mutatione climatis ab hominibus effectâ.

6. D. Goreus contendit lacum *Tschad* exaruisse calamitatis climaticae globalis causâ.

- FALSUM -

Iudices declarant: Haec sententia nullo modo est demonstrata.

7. D. Goreus contendit furacanum *Katrinae* effectum esse calefactione globali.

- FALSUM -

Iudices declarant: Ista sententia ultiro mente conficta est!

8. D. Goreus contendit ursos maritimos mortuos esse inventos. Quos glacies pontivagas quaerentes postquam per 90 chiliometra natavissent, aquis submersos esse.

- FALSUM -

Iudices declarant: Usque nunc ursi maritimi mortui non sunt inventi nisi quattuor, qui aquis submersi sunt procellâ saeviente.

9. D. Goreus contendit periculum esse, ne corallieta intereant climate mutato.

- FALSUM -

Iudices declarant: Variae causae, e.g. mutatio climatis, piscatio exaggerata, contaminatio circumiectorum quantum singulae valeant, determinari non potest.

Multi parentes Britanni id pro scandalo eximio habuerunt, quod gubernatio socialistarum Londinensis noluit discipulis indicare errores crassos cinematris Goreani, quia timuit, ne nuntius politicus istis indicatis ingratâ ratione infirmaretur. Quid nam homines in Germaniâ de hâc scando acceperunt stationibus televisificis (*ARD et ZDF*) et ephemeredibus commentariisve periodicis? Apparet eos haud multa accepisse!

Brevi ante summitatem Nationum Unitarum climaticam Hafniensem, quae facta est m.Dec. a.2009, subito nuntius innotuit maximê

terrificus: A diurnariis inventum est commercium epistoliorum electronicorum inter zelatores thesis mutationis climaticae anthropogenae factum, in quo agebatur de eventibus investigandi fraudulenter mutandis et de documentis infamibus delendis. Celeriter percrebruit nomen *climategate* (i.e. scandalon climaticum). Nam istis epistoliis electronicis permulta argumenta insunt, quibus res publicae quassantur. Nomen „*climate-gate*“ confictum directe spectat ad illum casum *Watergate* a.1972 factum, quod fuerat usque illud tempus scandalon politicum Civitatum Unitarum omnium maximum. Propter hunc casum *Richardus Nixon* illo tempore praeses Americae magnâ infamiâ contractâ a munere recessit. Interim climatico quoque scandalo ubique terrarum effectum est, ut homines politici a muneribus recederent, e.g. *Phil Jones*, director investigandi Universitatis Angliae Orientalis. In Australiâ hoc scandalon tamquam terrae motus vim habet etiam mediâ in gubernatione: *Malcolm Turnbull* Australiae minister circumiectorum, non potuit, quin a munere suo recederet.

#### **Wolfgang Muller (IUF = Institutum Libertatis negotiatorum):**

„Scandalon climaticum reverâ simile est illi scandalo *Watergate*, immo etiam fatalius est illi, quia hoc non sôlum spectat ad unum tantum hominem, sed agitur de thesi quadam, qua nixae sunt aliquot centum, immo mille stationum investigandi, qui eâdem effecerunt, ut compararent pecuniam sibi necessariam, necnon agitur de complexu oecologico-industriali, cuius fautores provocare solent ad vaticinia Consilii Climatis Mundani apocalyptica.“



**Merchant of Fear Funding Global Warming  
Fearmongering**

An Inconvenient Truth



**British Judge Rules Al Gore's Film Contains 9 Scientific Errors**

- 1. Sea-level will NOT rise by 20 feet
- 2. Pacific atolls NOT being inundated
- 3. Ocean Conveyor NOT shutting down
- 4. CO<sub>2</sub> levels and a rise in temperatures NOT an "exact fit"
- 5. Scientists have NOT established that Mt. Kilimanjaro's snow recession is attributed to global warming
- 6. Insufficient evidence that global warming is drying up Lake Chad
- 7. Global warming did NOT cause Hurricane Katrina
- 8. Polar Bears are NOT drowning because of global warming
- 9. Insufficient proof coral reefs are being bleached by global warming

**Global warming con rigged to accrue massive profits for the banksters.**

**Arch bankster and cultural wrecking ball, George Soros, pours funds in the direction of Al Gore, the fake climate change guru.**

**Global warming scam is in meltdown.**

**The icecaps aren't**

**From Your News Wire: George Soros Paid Al Gore Millions to Lie about Global Warming**



**MULTI PSEUDOPROPHETAE SURGENT  
ET SEDUCENT MULTOS**

Matthaeus 24,11

**ECCE ALBERTUS GOREUS**  
**PSEUDOPROPHETA APOCALYPTICUS**  
**MILIARDARIUS CLIMATICUS**

[https://www.youtube.com/watch?v=zG6\\_eXqgbqo](https://www.youtube.com/watch?v=zG6_eXqgbqo)

## De mutationis climaticae novâ religione

(*Klimawandel: Die neue Religion*)

Symbola d.19.m.Nov. a.2016 publicata.

**Dr. Wolfgang Thüne** – ipsius ZDF quondam meteorologus a.2008 hunc nuntium „irretivit“, i.e. interreti imposuit<sup>1</sup>.



**VOLFGANGUS THÜNE**

Qui de climate loquitur oportet sciat, quomodo clima fiat et quâ basi constituti sint valores climatici. Clima autem est aliquid, quod neque sentimus neque experimur in naturâ. Clima est res ad atlantes scholares apta et climatologia est scientia, quae post meteorologiam demum exulta est, meteorologia non excoli potuerat, antequam inventa erant meteorologica instrumenta mensoria. Ergo primo necessarium erat invenire thermometrum, barometrum, anemometrum eqs., eqs. Necnon necesse erat metiri, metiri, metiri... Et deinde scilicet aliquando dictum sit valores mensuratos esse pertractandos ratione statisticâ. Itaque a.1935 membra organisationis meteorologiae mundanae inter se consenserunt medium omnium valorum meteorologicorum, qui periodo triginta annorum observati essent, appellandum esse CLIMA. Neque ex tali temperaturâ mediâ scilicet ullo modo concludi possit, quales his in 30 annis fuerint temperaturae singulae, qualis variis in locis fuerit tempestas, eqs. Praeterea nota bene id quod saepe negligitur: praeter temperaturam sunt multa alia

---

<sup>1</sup> irretire cfr CIC.Mil.54 cum paenula irretitus, ...uxore paene constrictus esset. id. Tusc.2,20 haec (sc. Deianira) me irretivit veste furiali. Irretire significat aliquid reti capere, praesertim adhibetur sensu metaphorico. Quidni utamur hōc verbo ad actionem appellandam, qua informationes interreti imponantur (*angl. posting*)?

indicia tempestatis, et meteorologis temperatura nequaquam est omnium indicium praestantissimum. Hoc enim est pressio aëris. Nam nonnisi pressione aëris mensurata possum determinare, quomodo eadem distributa sit, scio, ubi sint regiones pressionis maioris et minoris, quomodo eaedem dislocentur, quam fortis sit gradiens pressionis aeriae, quam fortis sit fluxio venti, quo determinatur aëris massa et origo et temperatura. Evidem iam exspectaveram conventum climatologorum Hafniensem in irritum casurum esse, i.e. eundem omnino non fore efficacem. Ideo laetor, tamen etiam stomachor, quod haec summitas climatica iam fuit quinta decima - secum relationes diurnarias illuc iter fecerant quindecim vel triginta milia hominum ex omni ferê terrâ mundi, plerumque aëroplano. Hôc modo ingentes copiae fomitum profusae sunt, aër imbutus est substantiis nocivis. Praeterea mirum hoc delectamentum constitit vasta mole pecuniarum, quam si computaveris, profusae sunt aliquot miliardae sub praetextu obiecti tutandi, quod omnino non exstat. Nam - sicuti iam dixi - clima non est res concreta, sed notio abstracta.

*Albertus Goreus* ipse hoc bene intellexit. Nam idem in libro brevi ante summitatem climaticam edito clarê atque perspicuê dixit - verba quae mihi videntur excellentia - »Clima est phantasma abstractum, quod veste mutata fortasse proximis centum annis omnino non agnosceretur. Albertus Goreus scit clima non exstare, sed etiam scit timoribus climaticis fieri posse mercaturam lucrosam. Quod nobis clarê patet legentibus eundem spatio decennii (2000-2010) paene factum esse miliardarium climaticum. Ut iam dixi, summitas Hafniensis in irritum cecidit. Evidem doleo, quod tales conventûs tantâ cum pertinaciâ pergunt institui et adhuc tot homines credunt se calamitate climaticâ lucrum accepturos esse, ut tota ista res (*i.e. tutela climatis. adn. interpretis*) non satis celeriter finiatur.

Quod nunc singuli Concilii Climatis Mundani cooperatores, qualis est *Dr. Hans Labohm*<sup>2</sup>, ad publicum prodeuntes proprio in opere suo Concilium Climatis Mundanum vituperant, nescio an tales comparari possint cum rassis navem relinquentibus, quae mox aquis submergatur.

---

<sup>2</sup> <http://notrickszone.com/2012/12/07/dr-hans-labohm-on-scepticism-in-europe-the-tide-is-turning-very-much-alive-and-kicking/>


Impetu autem a *Doctore Labohm* facto levi tantum et marginali animus avertitur a re praecipuâ.



Ecce liber Wolfgangi Thüne a.2011 editus: »Prophetae de throno climatis pugnantes - Quomodo timoribus primigeniis excitandis pugnetur de pecuniâ atque potestate«. Qui liber complectitur 579 (sic!) paginas.

Iam locuti sumus de thermocepio. Tota ista imago terrae thermocepicae speculativa est falsa! – In omnibus enim rebus, quae fiunt ab hominibus, oportet semper quaeramus: Cur hoc facit? Cui hoc prodest? *Cui bono?* Haec enim quaestio est gravissima. Nam omnia quae facimus, facimus aliquo fine. Origines istius hysteriae thermocepiae iam factae sunt ante quinquaginta ferê annos. A.1955 enim post ianuas clausas haec idea iam excogitata est. At septuagenariis demum annis mediis eadem magis magisque divulgata est. Parum gloriae sibi peperit Germanica Societas Physica (*Deutsche Physikalische Gesellschaft*) eo, quod d.22. m.Ian. a.1986 homines

publicē praemonuit imminere ingentem calamitatem climatis ubiquitariam. Deinde autem idea talis calamitatis terrificae celeriter percrebruit:



D.11. m.Aug, a.1986 in paginā titulari<sup>3</sup> horrei nuntiorum Hammaburgensis, c.t. *Der Spiegel*, monstrata est ecclesia cathedralis Coloniensis fluctibus Maris Germanici submersa.

Huic autem imagini insunt duo symbola: unum est thermocepium, alterum Mare Germanicum sive libra maris ascendens. Haec autem symbola archaica omnis hominis insunt animae. Quibus exprimitur conscientia mala. Nam homo - quod est ens ad mala primum - semper timebat gehennam. Gehennae autem synonymon est thermocepion.

Diluvium quoque ab homine timetur. Nam etiam diluvium effectum est peccatis, quae homo commisit. Etsi nullam iam religionem volo, tamen religio - ut omnis ferē homo scit, necnon Carolus Marx scivit - religio est naturae humanae pars quaedam essentialis. Homo semper credit in aliquam rem. Non necessarium est eum credere in Deum. Nisi credit in Deum, credit in deos aut in alias res, sed credit. Itaque sunt, qui hōc desiderio credendi male abusi dicant: ,Bene, ego nunc

<sup>3</sup> pāgina titulāris i.q. theod. pagina titularis.

novos deos creo, novamque religionem. Haec autem religio utitur quidem symbolis prioribus, sed novis nominibus. Itaque in thermocepio omnia renovantur: Non iam pecco uxorem vicini mei seducens, sed pecco ipsâ existentiâ meâ, eo, quod vehor autocineto, quod domum meam hieme calefacio, quod itinera facio aëria. Peccare non desino. Nam carboneum dioxydum etiam exspiro. Istud est parvum quidem, tamen etiam peccatum! Si verê dicitur portione carboney dioxydati, quae continetur hōc aere, quem respiro, effici, ut intereat hic globus terrestris, i.e. effici calamitas climatis universalis, equidem ipse omni spatio vitae meae die noctuque sum parvus peccator“.

Nos credimus in mutationem climatis, credimus, quia nescimus, sed politici et scientiae tam diu nobis dictitaverunt clima (carboneo dioxydato) calefieri - nunc necessarium nobis esse videtur sic fieri. Hoc est dogma, i.e. id scientiae, quod nobis deest, compensamus credulâ confidentiâ. Quisnam contradicat narranti ursos maritimos phocarumque catulos in dies minora spatia habere, quibus vivant? Quemnam non miseret hominum regiones climaticas incolentium in dies immisericordiores? Animae nostrae inest quaedam vox nobis dicens: „*Culpam istorum malorum omnium contraximus nos met ipsi! Nationes industrielles divites, qui circumiecta naturalia expilaverint!*“ – Clima est nostra conscientia mala. Nam desideramus mundum quendam sanum beatumque. Desideramus naturam puram, sensum quendam naturae innocentem atque romanticum. At huius sensûs desiderati absentiam compensamus eo quod mente fingimus calamitates ab hominibus effectas.

**Norbertus Bolz:** „Eo quod credimus in mutationem climatis (ab hominibus effectam), directê opponimur calamitati praevibili, i.e., denuo licet nobis affici religione, quamquam non credimus in Deum. Apparet hanc credendi oblationem in societate nostrâ atheisticâ esse ferê irresistibilem.“

Religio christiana nobis facta erat nimis laboriosa. Attamen volumus quidem in aliquid credere. Et antequam in nullam iam rem credimus, credimus in interitum mundi. Finis mundi – sic periti nobis affirmant – imminet! Secundum autem mores christianos nobis traditos, nos

omnia peccata mundi in nos recipimus. Ecclesiae autem officiales, *Huberi illi et Käsmanniae* nunc etiam loquuntur de climate – at nimis sero! Ipse *Tutu* episcopus ille subridens hos climatodulos fideles non iam recipiet in gremium ecclesiae.

TUTU: „Mutate – mutationem climatis!“



Nam nova climatis religio offert nobis rem aetati aptissimam: **TIMOREM**, i.e. timorem mediis technicis in scaenam producibilem! In cinemate conferentiae climaticae Hafniensis spectatur puella parvula somnians de interitu mundi! „**SUBVENITE, QUAESO, MUNDO!**“

**Norbertus Bolz:** “Si quis dicit: ‘Timeo!’ id est: Agitur de rebus omnibus. Omnia periclitantur. Existentia mea, existentia generis hominum, existentia terrae, ...plura non possunt periclitari! Et his verbis quae sunt 'plura non possunt' - his verbis, quibus timor efficitur quam maximus - scilicet animus hominum nunc excitetur tantâ cum vehementiâ, quantâ usque nunc non excitatus est nisi rebus religiosis. Itaque ea quae homines de naturâ faciunt, nunc profecto iterum describi possunt notionibus religiosis.“

Deus noster nunc non iam est Deus pater, sed ‚Mater Tellus‘. Nos autem eidem sumus subiecti. Sic legitur in bibliâ religionis climaticae, quod est Protocollon Kyotoense. Cuius praeceptum primum est: ‚Clima ne fiat duobus gradibus calidius!‘ Ex illo tempore omnes plâgae biblicae sunt plâgae circumiectorum. Homo Tellurem vexavit! Itaque eadem nunc ultionem exercet terribilem! Sic quidem dicit communitas fidelium – sic dicunt discipuli conferentiarum coniecturalium!




**ECCE NORBERTUS BOLZ (\*1953): vir bonus dicendi peritus**

De huius mundi summitatibus climatis omnibus illi nos invocant: „Convertite, paenitentiam agite! Peccatum vestrum est emissio carbonei dioxydati! Peccata quoque sunt industria quaestuosa et res technicae, ista figmenta diabolica! Vos autem, qui in talibus terris vivatis, vos omnes estis peccatores! Vita vestra nihil est nisi pigritia atque voluptas! At restat remedium: commercium facite indulgentiarum carbonei dioxydati! Ergo si quidem peccatis aëroplanis volantes, saltim pereatis beneficio climatis compensato!“

Qui talia audire non vult, in eum invehitur *Greenpeace*, i.e. vigiles Matris Telluris circumiecturales. Qui sunt religionis climaticae archiangeli, eorumque propheta est *Albertus Goreus*, qui praeditus est lepôre praedicatoris televisorii. Eius cinema *Veritatis incommodae* est eius sacra annuntiatio!

**Norbert Bolz:** »*Albertus Goreus* est primus homo politicus, qui denuo ausus est – saltim in mundo occidentali – in publicum prodire personâ prophetae indutus. Ut ita dicam: Is vir cursu honorum politico parum prosperê facto cursum cepit prophetae prosperrimum idque materiis usus scientiarum, quae videntur esse rationis novissimae. Istam quidem prophetiam sentio esse mixturam perniciosam...“\*

Haec mixtura parata est nobis a scientistis - eidem inest icon calefactionis climaticae, quo tam pulchrê spectatur calefactio his centum annis facta.



### **ECCE TELLUS MATER CLIMATODULORUM**

At - me Dius Fidius! - deinde patefactum est discipulos Instituti Climatologiae omnium gravissimi (*Climate Research Unit*) ad hunc iconem efficiendum numeros calculosque falsavisse, numeros aberrantes suppressisse, collegas contradicentes molestavisse necnon


---

\* »Al Gore ist der erste Politiker, der es wieder gewagt hat – zumindest in der westlichen Welt – als Prophet aufzutreten. Und man könnte sagen, er hat an seine gescheiterte Politikerkarriere eine sehr erfolgreiche Prophetenkarriere angeschlossen und das interessanterweise mit dem Material scheinbar avantgardistischer Wissenschaften. Das ist eine – wie ich finde – unheilvolle Mischung.«

haereseos accusavisse. Climatologi cum commiserunt peccatum originale, innocentiam amiserunt methodicam. Nam scientiae supprimebantur a politicis. Iidem enim invenerant hoc thema sibi esse instrumentum securum, quo civibus explicarent officia onerave molestiora atque graviora illis imponenda. Religione mundi servandi, cuius catechismus elaboratus est a concilio vigilum climatis, calefactio climatis factum est dogma.

**Dirk Maxeiner** (diurnarius scientificus): „Propriē hoc decernendum fuerat politicis – iudicandum fuerat, num haec hypothesis esset satis certa, et deinde dicendum erat: Bene, nunc agendum est aut sic aut aliter – At responsalitas translata est scientistis. Et dictum est: ,Vos hanc rem debetis reddere firmam certamque. Et deinde nos poterimus rem decernere.’ At scientiae eo momento, quo parati sunt problematis intricati et adhuc parum perspicui enuntiare solutionem claram et simplicem et definitivam – perierunt et sunt perditissimi!“

**Norbert Bolz**: »His decenniis a liberalitate atque quodam genere illuminationis massalis nos raro remotiores eramus quam hodie – immo, res nostra versa est in contrarium: **Denuo incidimus in manū prophetarum**«<sup>\*\*</sup>.



ECCE SEVERUS PAPA ASSECLARUM CALEFACTIONIS GLOBALIS  
MISERRIMO CLIMATOSCEPTICO ACCLAMAT: "AGE PAENITENTIAM!"

\*\* »Selten waren wir in den letzten Jahrzehnten weiter entfernt von Liberalität und einer Art Massenaufklärung als heute – ganz im Gegenteil: Wir sind wieder in die Hände von Propheten geraten.«


## EA QUAЕ

**VOLFGANGUS THÜNE ET NORBERTUS BOLZ SENTIUNT**

**DE CALAMITATIS CLIMATICAE NOVA RELIGIONE**


**IN LATINUM CONVERTIT**

**LEO LATINUS**



**CONFERENTIA CONTRACTÙS MUTATIONIS CLIMATICAE**  
Disceptationes haud bene aguntur... Egemus periodo, qua non fit refrigeratio!


**The Real Consensus**



"Hands-up. Who thinks greenhouse gases have no effect, therefore we all need new jobs? Anyone?"

**ECCE VERUS CONSENSUS**

»Tollite manūs. Quis cogitat gasa thermocepica nullum habere effectum (*ad calefactionem globalem*), ideoque nos omnes egēre novis occupationibus? Estne aliquis, qui haec cogitet?«



**ECCE CLIMATOLOGUS TEMPERATURAM IGNITABULO FALSANS !**

**»VERITAS INCONVENIENS«**

*(Titulus libri Goreani)*

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuē disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR.	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	<b>TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM</b>	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	<b>MEMENTO MORI</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040	978-3-938905-17-3	<b>MEMENTO MORI – Libri audibles</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	<b>DE CRAMBAMBULO</b>	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	<b>DE DINOSAURIS</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	<b>SUDATORIUM VENERIS</b>	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	<b>PERICULUM FRANCISCI</b>	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	<b>NUPTIAE ABDERITANAЕ</b>	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	<b>TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN</b>	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenma tt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptman	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	_____	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIAE II	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
UNDEDUCENTESIMAM  
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Lunae, 29. m.Apr. a.2019**

**Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae

